Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0001-7

K.f. 138.

1) Torinus, Gotofredus

nebst 2) — 18)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0002-3

7

MELOS
Ad fortiſsimum virum GEORGIVM LVDOVICVM SENSHEMIVM, EQ. AVRATVM, GVBERNATOREM MARCHICÆ IN FRANCIA ditionis, Cæſ. Maieſt. a conſiliis.

K f 130

SCRIPTVM A

P. Meliſſo, Comite Pal. & Eq. cive Rom.

NORIBERGÆ

ANNO M D XXC.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0004-4

ADHVCNE ſano pectore ſoſpitem
Cerno SENSEMIVM, tam vegetum ſenem?
Adhucne dextram rite dextræ
Jungere poſſe datur volenti?

Horam o beatam, qua mihi viſus es
Primum, Pannoniam qua celer alluit
Iſter Viennam! Cæſar ille
Bacciferis ubi FERDINANDVS

Vati futuro frundibus hoc caput
Velabat, teneras conſpicuo genas
Lanuginoſæ flore veſtis.
At puto longé aliis diei

Beatioris tempora, qui vicis
Tot poſt ambiguæ lubrica momina
Caſusque, & exantlata ſæpe
Aſpera prægravium laborum,

Occaſionem non mihi convenæ
Præcídit, decus o Francigenûm, tui
Coram alloquendi, deque multis
Rebus, ut eſt mora, diſſerendi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0005-9

Jam pœnè feſſo multiplicis viæ,
Tranquillum patriis in ſinubus locum
Sperata ſuadet ſciſcitari;
Sicubi non aliena noſtris

Sympatriotæ corda gerent, quibus
Totum devoveo me, & proprium dico
Lubens: ut in qua natus hauſi
Ipſe puer regione vitam,

Senex eâdem, ſi placitum Deo,
Denaſcar. quid enim carius æſtimem
Solo paterno, quidve Mæno
Francidos indigena fluento?

Tybrim Latinum, & liquida Sequanæ
Jam poſtpono tibi Mæne pater: tibi
Poſtpono, quidquid regnat usquam
Teutonicis fluviorum in oris.

Vt dulce, paſſum multa pericula
Evaſiſſe! tamen quàm reminiſcimur
Injuriarum tædioſè!
Quàm mala ſæpe animum remordent!

Fruſtra

Fruſtra, furenti Marte ſatellites
Ad flavum Ligerim detinuere me
Captivum, & heu nudis amarunt
Pectoribus minitaſſe glandes:

Fruſtra occupatum miles Ibericus
Ad Dubim feriit verbere machinæ,
Dum proditoris inſtar, hoſpes
Cum ſociis traherer per urbem.

Dolana geſta hæc & Charitenſia
Germanûm eveniant imprecor hoſtibus.
Nequicquam & inquiſitor Auſo,
Meque meisque libris ad unguem

(Cornariûm quæ ſævities erat
Contra fas, odio duplice Teutonum)
Audacter excuſsis, biennem
Mœnibus in PatavI inquilinum

Vexavit. aſt hæc penſa aliquando quis
Accurare memor, par referet pari,
Stamenque pertexet redorſum
Conſimilis reor arte tramæ.

Verùm quid ægris hæc querimoniis
In caſſum repetens infremo? quod ſemel
Factum eſt, id infectum reapse
Haud fieri pote. quin viator

Externa mundi pervolitans loca,
Perraró ſine discrimine ſentiet
Elapsus. at quondam æquilibrem
Fors iterat cita talionem.

EPIGRAMMA
DE GEORGIO LUDOVICO
SENSHEMIO, VIRO PLANE HEROICO.

SENSEMIUM, o Muſæ, ſimilem cui dixero, nomen
Qui celebre a Latia rettulit hiſtoria?
Coſſo mente alacri; Marcello fortibus auſis;
Scipiadæ pugnis; ictibus Attilio.
O parcam laudem! nam pluris hic inclitus heros
Coſſo, Marcello, Scipiade, Attilio.

Meliſſus F.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0009-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0010-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0011-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-705344-p0012-8

ſsi Franci

S PAL. ET

S, CIVIS

O M.

mmata.

IVS LVSITANVS.

atonicis apes,
ſerunt ſua.
ierunt rhetoris
examina;
eſsitaverunt apes
æ nobilis.
re, huic cum nectare
querunt ſuum.

ERGÆ.

D IϽ XXC.